





1766, 8.  
No. 9.

SPECIMEN  
CONTINENS

CAPVT IVRIS CONTROVERSVM  
DE  
S E R V I T V T E  
ALTIUS TOLLENDI

Q V O D

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.  
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XV. OCTOBR. ANNO CICICCLXVI.

D E F E N D E T

AVTOR ET RESPONDENS

A V G V S T V S W O L F G A N G  
DEVTSCHLAENDER

L A V B A - L V S A T.

---

L I P S I A E

LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE.



ИЗМЕЯ  
СОВЕТЫ  
КИТОВАГО  
САУЧА  
СЕРГЕЯ  
ХРИСТИНА  
ДАВИДА  
ДЕВАТОВА  
ЗАГЛАДЫ

ЗАГЛАДЫ

VIRO  
EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO,  
CONSULTISSIMO  
**MAVRITIO ADOLPHO  
ENGELIO**


L. V. D.

ICTORVM PRACTICORVM BORNENSIVM  
ANTESIGNANO  
PATRONO OMNI HONORE ET PIETATE  
COLEND O  
IN PIETATIS TESSERAM  
HOC IURISPRUDENTIAE IVVENILE ΠΑΡΑΔΕΙΓΜΑ

D. D. D.

AVGVSTVS WOLFGANG DEVTSCHLAENDER  
AVTOR ET RESPONDENS.

A I R O  
EXCELENTISSIMO AMPLISSIMO  
CONSULTISSIMO  
M A R T I O ADOLPHO  
E N G E L I O  
I U X  
I C T O R I A M I T A C T I Q U A M S C R I N I A M  
A N T E S C I A N O  
P A T R O N O M I H O N O R E ET T E S T A T E  
C O R I N D O  
I N H E R T A T I S T E S S E R V A  
H E C I A T T R U S C U P R I S T I V E D A V I D I  
V A C A S T A S M O M I D A N G D E A T S C O U V E N D E R  
V A T O Z T E S S E R G D E R



D E  
S E R V I T V T E  
ALTIUS TOLLENDI.

§. I.

Si quae est antiqui Romani iuris controversi thematis interpretatio , in qua ICti ab ipsis iurium rationibus aberrarunt, sane id factum mihi videtur in exponenda natura seruitutis altius tollendi. Alii enim non aliam, quam quae altius non tollendi dicebatur putabant sic nominatam a parte dominantis , alii alia sibi fingeabant, et nemo prope, paucissimis exceptis, in ea explicanda satis at-

A 3 tentus



tentus fuit ad naturam essentiamque seruitutum, cuius prima ratio in restrictione aliqua libertatis naturalis posita, vel ut pati deberet, quod per libertatem naturalem non debebat, vel non facere, quod per eandem utique licebat. Et hinc actio illa *negatoria*, opposita confessoriae, suam capit interpretationem. Examinemus diuersas opiniones diuersorum, singulisque sua dabimus incommoda.

## §. II.

Haud paucis ea fuit opinio, non diuersam esse seruitutem altius tollendi a non tollendi, sed *affirmatiue* dici a parte dominantis, *negative* a parte seruientis. Sed sicut illa inconstans denominandi ratio in aliis seruitutibus nunquam occurrit, magisue vel a *dominante* tantum, vt pascendi, aquae ducendae et aliae, vel a *seruiente*, vt ne luminibus officiat, ne prospectui officiat, nominis rationem capiant, ita sane ridiculum videretur, vnam seruitutem et affirmatiua et negatiua compellatione compellare. Dein, si audiamus C A R I V M in L. 2. π. de Seruit. P. V. fieri non potest, vt pro vna seruitute habeantur. Ait: *Vrbanorum praediorum iura talia sunt: altius tollendi et officiendi luminibus vicini, AVT non extollendi.* Patet, altius tollendo offici luminibus vicini, non extollendo, offici nequit: quaero, quomodo duo contraria possent de eodem subiecto praedicari. Dein, si a dominantis iure dicta esset, ita, vt a seruientis partibus negatiua diceretur, quomodo potuisset ea seruitus quae tollendo altius



tius vicini luminibus officit, a seruientis parte non extollendo,  
non officere luminibus?

§. III.

Iam ad alteram veniamus opinionem. Fingunt Statutum aliquod, quo vicino non licet, inconsulto vicino, ultra modum lege definitum aedificare, et iam adserunt, si interueniente conuentione vicinus pati cogitur, ut contra modum aedes altius tollat suas vicinus, constitutam videri seruitutem *altius tollendi*. Communis est haec interpretatio, quam plerique habent, defendunt, tuentur. Sed examinemus ea, quae ad probandam hanc interpretationem faciunt. Statutum fingunt! bene. Memini a *Traiano* in ea causa quid statutum fuisse, scilicet veterat, *aedium altitudinem sexaginta pedes superare*, in qua re consulendus *BRISSONIUS Select. Antiquit. Iur. I. 5.* et *MAIANSIVS Disput. Iur. XXIV.* sed non constat ex hac ipsa lege, permisum fuisse priuato vicino, vicinum dispensare a legis prohibitione. Prouocant ergo, quod et fecit *HEINECCIVS* in *Instit. L. II Tit. III. §. 405*, ad Constitutionem *ZENONIS* in *L. 12. §. 1. C. de aedific. priu.* Ita legitur: *Et nos ita praeципimus, ut, qui proprias domus renouare cupient, non solum veterem formam non excedant, (sicut nec hi, qui nouas aedificant,) aut tamen vel prospectum vicini auferant, aduersus ea, quae pridem constituta sunt: verum etiam addimus, quale ius is, qui aedificat, habere debeat, cum facultatem habet ex pacto vel stipulatione, mutandae,*



tandae, si velit, veteris formae. Tunc enim sancimus, ut, si pactum vel stipulatio aedificanti suffragetur, liceat ipsi secundum vim pacti et stipulationis aedificare, etiam si officere vicinus, quibus pactum aduersatur, ita aedificando videatur. Quis dubitet amplius, de conuentione illa permissa, contra id quod constitutum, aedificandi? Sed vehementer dubito, quin haec lex communi sententiae opem ferat. Nam verba, quae pridem constituta sunt, mihi non intelligenda de Statuto quodam, sed de seruitute quadam, seu iure in re alterius, constituta. Et dein, mutatio illa veteris formae ex pacto stipulationeue, nihil aliud indicare potest, quam licentiam, id ius, quod pacto stipulationeue constitutum fuerat, contrario pacto stipulationeue tollere. Patet ergo, nullam esse huius legis auctoritatem in seruitute altius tollendi ad communem illam opinionem explicandi.

#### §. IV.

Sed largus interim ero. Sit statutum; neget licentiam altius aedificandi quam ad praescriptam formam; concedat vicino facultatem dispensandi, quod vix priuato alias liceret; tamen sic non habebis seruitutem altius tollendi. Eo enim statuto, si quod existeret, libertas illa naturalis cuius competens supra suum fundum in infinitum aedificandi, restrinxit. Haec restrictio remittitur, interueniente pactio-  
ne; restituitur itaque libertas naturalis. Quis vero vnquam restitutionem libertatis naturalis diceret seruitutem? Quis ad-  
firmaret,



**S. V.** firmaret, me id, quod secundum libertatem naturalem licet, iam ex seruitute seu iure in re alterius competente facturum?

Quid ergo faciamus cum illa seruitute obscura? Placet profecto opinio PAGENSTECHERI in *Siciliment.*  
*Manip. III. p. 70.* Putathanc fuisse naturam seruitutis nostrae, ut vicinus a vicino sibi stipulatus fuerit ius contignationem vel cenaculum aedibus vicini imponendi. Cui aedificandi ratio veterum Romanorum ex antiquitate cognita, ei haec seruitus adeo improbabilis non videbitur. Sed defunct probationes, quas iam addimus.

§. VI.

Scilicet dubium est, an in facto contigerit, quem super alterius  
aedificium contignationem, coenaculum, concameratum impo-  
situm habuisse; id erit, quod probandum; hoc enim probato  
interpretationis veritas per se patet. Prouoco ad **VLPIA-**  
**NVM** in **L. 8. §. 5. π.** Si seruit. vind. loquitur in ea de im-  
missione fumi ex inferiori aedificio in superius, et aquae ex

B

supe-



superiori in inferius, et quod pondus efficit: *quatenus*, ait, *nihil in alienum immittat, sumi autem, sicut aquae esse immisionem caet.* Siue ergo inferiora aedificia, siue superio-  
ra sint aliena, patet, super alterius fundum quid superstru-  
ctum fuisse. Clariorem vero rem efficiet ipse **V L P I A N V S.**  
in *L. 3. §. 7. π. vii possid.* Adscribamus verba: *Sed si supra aedes, quas possum video, coenaculum sit, in quo alius quasi dominus moretur; interdicto uti possidetis, me uti posse,* Labeo,  
ait, non cum, qui in coenaculo moraretur. Semper enim super-  
ficiem solo cedere. Plane si coenaculum ex publico aditum ha-  
beat: ait Labeo, videri non ab eo aedes possideri, qui *neūptas*  
possideret; sed ab eo, cuius aedes supra *neūptas* essent verum  
hoc in eo, qui aditum ex publico habuit. Satis ergo patet, su-  
periora aedificia, quae supra *neūptas* erant, alium habuisse  
possessorem, aliumque inferiora, quorum pars erant *neūptas*. His ponderatis, probabilior efficietur *Pagenstecheri* opi-  
nio. Et iam facilior erit intellectu **P A V L V S** in *L. 14. π. de Seruit. P. V. imo AFRICANVS* in *L. 15. π. de Nou. Oper.*  
*Nunc.*

### §. VII.

Iam ad ea, quae mouent docti homines dubia. Putant I) non  
diuersam esse nostram seruitutem a *superficie*. Exigua sane obie-  
ctio; nam poterat utique superficies dici, quamvis super-  
ficies



ficies vario titulo constitui posset, locati , emti v. L. i. pr.  
et §. 1. π. de *superfic.* ita et seruitutis iure superficies con-  
stitui poterit. Probabilem reddit opinionem **V L P I A N V S**  
in L. i. §. 9. eod. *Seruitutes quoque praetorio iure constituantur,*  
*et ipsae ad exemplum earum, quae ipso iure constitutae sunt,*  
*utilibus actionibus pertinent, sed et interdictum de his utile com-*  
*petet.* II) Dubitat **H E I N E C C I V S** in *Insti.* §. 405. cit. sub. \*  
non applicari posse actionis formulam confessoriae: **A I O M I-**  
**H I I V S E S S E A E D E S M E A S A L T I V S T O L L E N D I.** Sed  
sicut haec formula magis in eam causam concepta videtur,  
qui ex libertate naturali agit contra eum, cui seruitus altius  
non tollendi, de qua non loquimur, constituta non erat,  
vt patet ex L. 4. §. 7. π. si seru. wind. ita tamen non video,  
quid obstat, quo minus formula haec sit: **A I O I V S M I H I**  
**E S S E A E D E S T V A S.** etc. Et tandem , cur non *suas*  
dicat aedes, quae altius aedificando vere *suae* sunt. III)  
Dein putat **H E I N E C C I V S** cit. l. non differre ab *oneris*  
*ferundi* seruitute nostram. Sed differt vt maius et minus,  
et prope eadem ratione, vt *oneris* ferundi a seruitute  
tigni immittendi. In *oneris* ferendi seruitute paries aut  
columna tantum seruit, in *altius tollendi*, οὐπτα  
seu quod magis est, totum aedificium. IV) Dubium  
quod mouet ex L. i. pr. ff. de *seruit.* P. V. quod ae-  
dium contigitas non requireretur, tollet L. cit. 3. §. 7.  
*vii Possidet.* Poterat enim iure seruitutis impositum coe-  
naculum ex publico aditum habere. Et V) tandem si  
de



de viu seruitutis huius disputandum, ipse sciet Heinecius et voluptatem in urbanis seruitutibus admis-  
sam, et rusticum usum in exponentibus liberiori aeri fru-  
tibus in superstructa illa contignatione facile concipi  
posse. An vero communis nostra aedificandi ratio  
hanc applicari sinat seruitutem, facile quiuis ipse de-  
cidere poterit.

### T A N T V M .




Leipzig, Diss. 1766 A 6



TA-OC





S P E C I M E N  
C O N T I N E N S

1766, 8.  
Ad. 9.

C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S V M  
D E  
S E R V I T V T E  
A L T I V S T O L L E N D I

Q V O D

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S O R. P U B L I C. O R D I N. I V R. N A T. E T G E N T.

E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B V R G.

S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

D I E X V. O C T O B R. A N N O C I C I D C C L X V I

D E F E N D E T

A V T O R E T R E S P O N D E N S

A V G V S T V S W O L F G A N G  
D E V T S C H L A E N D E R

L A V B A - L V S A T.

---

L I P S I A E

L I T T E R I S V I D V A E L A N G E N H E M I A E.